

DE
**LEPRAE IN MEMBRANA FAU-
CIUM, NARIUM, NEC NON ORIS
MUCOSA OBVIAE DIAGNOSI.**

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CÆSAREA LITERARUM
DORPATENSI

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE


RITE ADIPISCATUR

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES THEOPH. DE BRANDT.

RIGA • LIVONUS.



R I G A E,

EX OFFICINA MUELLERI. MDCCCXXV.

I m p r i m a t u r

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura librorum mandata est, tradantur

Dr. L. A. STRUVE,
h. t. Decanus.

Dorpati Livonorum, die ix. m. Juny 1825.

Est.

THE UNIVERSITY

5246

VIRO ILLUSTRISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

JOACHIMONOBILI DE RAMM,

MED. DOCT. AUGUSTO OMNIUM RUSSIARUM AUTOCRATORI A.
CONS. AUL. EQUITI ORDINIS ST. VLADIMIRI IV. CLASSIS, SO-
CIETATUM IMPERATORIAE PHILANTROPICAE PETROPOLITANAE,
NATURAE CURIOSORUM UNIVERSITAT. IMPERAT. MOSCOVIENSIS,
SCIENTIARUM REGIAE EDINBURGENSIS SODALI, NEC NON EPISTO-
LARUM COMMERCIO SOCIETATI SCOTICAE RERUM ANTIQUARUM
STUDIOSAE JUNCTO.

FAUTORI SUMME COLENDO

HOCCE PRIMUM LITERARUM SPECIMEN

OMNI, QUA PAR EST, REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Delectus thematis alicujus, ad dissertationem inauguralem congrui, licet multifariae eademque uberrimae artis salutiferae sese offerant materies, nihilotamen secius, tum propter ipsam rerum inquirendarum abundantiam, tum quia omnibus fere disciplinis viri, ingenio acuto excellentes duceque experientia amplissima naturam abscondite agentem sedulo contemplantes, opera impensa, scrutinium suorum summam disertis verbis in vulgus jam ante ediderunt, res est, medico, studiorum primordia literaria critico, ut ita dicam, arbitrorum rerum medicarum oculo subjecturo, summam injiciens cunctationem, quae, ubi rem elegerit mere practicam, cui parem se esse desperat, multo adhuc magis augetur.

Cupiditas solummodo notionum medicarum campum amplificandi animum demissum erigit

viresque ejus inermes suscitatur, ut sacerdotum illorum Aesculapii insignium sese adjungat seriei.

Illa et ego laboravi conditione iniqua, cum vero multa adhuc esse in doctrina morborum totius systematis cutanei obscura atque neglecta persuasum haberem, animumque mihi injecerit auxiliumque praeberit Cel. Prof. STRUVE, Lectoremque sperarem benevolum fore atque indulgentem, pagellas hasce conscribere ausus sum.

Quodsi opusculum meum non ab omni laude alienum esset, non haberem, quod studiorum temporisque in hac re consumpti poeniteat.

Introductio.

Possintne morbi cutanei in mucosis quoque membranis, peculiarem suam servare formam exanthematicam? Quaestio haecce multis ansam praebuit dissidiis, quae autem evenerint, nondum accuratius constituta fuerunt. Sunt, qui omnes tunicarum mucosarum affectiones exanthematicas nonnisi inflammationem esse censeant simplicem, ast illarum affectiones tam singularem manifestant naturam, eandemque tam crebro specificam, vegetationemque partium morbosarum omnimode mutatam, ut plurima medicorum pars merito ad illam quaestionem annuendo respondeat.

Cutis structuram, si cum illa membranarum contuleris pituitosarum, tum in statu sano, tum in morbo, alterutrius organi, hoc respectu facile reperies insignem similitudinem. Hac, atque experientia nitantur necesse est argumenta, quae ad probandas aegritudines exanthematicas re vera, nec quidem raro in membranis pituitosis existentes, afferuntur; theoria enim e simili structura nonnullarum corporis partium

in similes affectiones morbosas concludit, ac observatio rem extra omnem dubitationem ponit.

Rationum modo dictarum, quibus res firmetur, conspectum penitiorum praemittere, quantum dissertationis angustiae sinunt, non sine usu fore credo, qua re in subsequentibus membranas mucosas atque tegumenta communia comparare operam dabo:

a) Tunicarum mucosarum cutisque analogia ex utriusque structura proficiscens. Systema cutaneum, saccus undique clausus, vice involucris universalis fungens, omnia reliqua circumcingit organa, ac in duas abit partes, quarum altera externa, tegumenta communia sistit, altera vero interna membranarum mucosarum systema. Hae, quamvis multifarie inter se differunt, tamen unius ejusdemque solum typi sunt varietates, nam forma externa, constructione, virtutibus actionibusque maximam partem sibi similes sunt, contiguumque praesentant nullibi interruptum¹⁾. Ubi altera in alteram transit partem, tantum abest, ut limites accurate distincti appareant, ut potius utriusque transitus sit occultus,²⁾ quare systematis membranarum pituitosarum prima initia magis homogenea sunt cum tegumentis externis, quam ejus partes interiora magis petentes.

1) MECKEL, Handbuch der menschlichen Anatomie. Halle und Berlin 1815, in 8. Band I. pag. 569.

2) BICHAT allgemeine Anatomie, aus dem Franz. übersetzt von Pfaff Leipzig 1803. 8. 2ten Theils 2te Abtheilung, pag. 165.

Omnia de numero stratorum cutis certamina rejiciens, ex auctoritate plurimorum anatomicorum tria strata, nempe epidermidem, mucum Malpighianum cum corpore papillari, coriumque assumo, quibus partes analogas in membranis pituitosis deprehendi, demonstraturus sum.

Epidermidem, mucum spissatum, vasis nervisque immunem, ³⁾ in cavitate oris fauciumque multo quidem tenuiorem recipimus, in cavo narium nec non in tubo cibario ⁴⁾ forma fluida invenimus, prout munera harum systematis mucosi partium, organorumque subjectorum integritas poscunt. Tenerrimae epidermidis in cavo oris fauciumque praesentiam exco-riationes probant in labiis, interna oris facie, in faucibus atque lingua interdum obviae, callositates earundem partium pressu e. g. dentium male collocatorum provocatae, incisiones anatomicae ope lanceolae factae, aquae bullientis effectus, maceratio, putredo, quin imo acrium remediorum, quae veteres in labio leporino ad sauciandas vulnerum oras adhibuerunt, usus. Membranae mucosae resistunt porro aëris atmosphaerici, vel quoque potentiarum externarum contactui, nullam eo concipientes inflammationem, nullamque subeuntis desquamationem, quod pariter analogam cum epidermide formationem probabilem reddit. Porro in iis formationes praeternaturales emergunt, illis cutis externae nullo modo absimiles, e qui-

3) MECKEL, l. c. pag. 588.

4) WILLBRAND, das Hautsystem in allen seinen Verzweigungen. Gießen 1813. 8. pag. 15.

bus non minus in epidermidis praesentiam concludere licet. 5)

Alteri cutis strato, reti Malpighiano mucoso cum corpore papillari analogo WILLBRAND 6) tunicam aequiparat villosam, quae in cavitate oris, faucium, nariumque textura gaudet holoserica, in intestinis autem villorum nanciscitur aspectum, indeque nomen traxit. BICHAT illud cum textu papillari confert, atque hunc ex ultimis nervorum cutaneorum ramulis compositum esse judicat. 7) Verum haec opinio mere hypothetica est, priorem contra injectiones prosperrimae suffulciunt. Verisimillimum est, corpus papillare cum rete mucoso massam formare e nervulis, vasisque convolutam, quae autem organa hic quodammodo mixtionem aliquam vicissim subeunt organico-chemicam, ac, prout officia vitalia singularum organi cutanei partium requirunt, modo praedominant, modo recedunt, ita e. g. in lingua nervi, in intestinis vasa potiore obtinent locum. 8) Simili modo res se habet cum formatione primordiorum systematis mucosi holoserica. In hoc tegumentorum strato materies quoque cutem colorans, scilicet pigmentum, deponitur cujus mutationes varias in organo cutaneo produciunt metamorphoses morbosas. Et massam pul-taceam albidam linguae inter epidermidem ejusque

5) BICHAT, l. c. pag. 267.

6) l. c. pag. 15.

7) l. c. pag. 18.

8) WILLBRAND, l. c. pag. 54 et seq.

papillas, nec non in exiguis vasorum, tunicam oris intimam magna copia perreptantium, interstitiis collocatam esse, ne prosperrimis quidem injectionibus implendam, Cel. PROCHASKA edocti sumus experimentis, quam (scl. massam) procul dubio cum externae cutis congruere pigmento, elucet.⁹⁾

Corio tunicarum pituitosarum nomine ea comprehenditur lamina, quae maxima ex parte illarum construit compagem, in cavo narium cum periosteo perichondrioque finitimarum sese conjungit partium, atque in ore faucibusque ope telae cellulosaе musculis agglutinatur. In membranis mucosis altius penetrantibus haec lamina a corii externi structura magis magisque recedit, inque tractu intestinorum tunicam sistit vasculosam.¹⁰⁾ In primordiis systematis membranarum mucosarum structura ejus ad illam corii tegumentorum communium magis accedit, ad gingivam palatumque maxima, minori in faucium nariumque cavo praedita est crassitie.

Glandulae muciparae cutis internae cum externae glandulis muciparis atque sebaceis congruunt, earumque secretio eodem modo iisdemque viis, ac in cute ipsa, procedit.¹¹⁾ Nervi atque vasa magna copia multiplicique contextu aequae ac cutem perreptant mem-

9) Bemerkungen über den Organismus des menschlichen Körpers und über die denselben betreffenden arteriellen und venösen Haargefäße, nebst der darauf gegründeten Theorie der Ernährung. Wien 1810 in 8. pag. 64.

10) WILLBRAND, l. c. pag. 21.

11) WILLBRAND, l. c. pag. 38.

branas mucosae. Pili quidem ac unguis, organi cutanei externi rudimenta, nonnisi citra naturae ordinem in membranis pituitosis offenduntur, jure autem dentes istis organis analogi haberi possunt, sicuti BONN,¹²⁾ WALTHER¹³⁾ et LAVAGNA¹⁴⁾ jam docuerunt. — Ad

b) indagacionem munerum, quibus tunicae mucosae in oeconomia animali funguntur, quatenus tegumentorum communium viribus respondeant, si accedimus, et hic perspicuam invenimus similitudinem. Systema cutaneum in omni suo ambitu unicum est systema organicum, quo quodvis animal potentiarum externarum contactui obnoxium est; ¹⁵⁾ materies peregrinae illo, ad tuendam peculiarem individui indolem necessariae receptae, assimilantur, tunc eliminantur, omniaque haec vitae vegetativae phaenomena intra systematis dicti fines enasci observamus. Organismi animales infimo collocati loco v. c. polypi, peregrinorum receptionem atque ejectionem materierum massae organicae prospiciendae inutilium, vim res alienas organicas reddendi, eamque omnia corpora solida in liquida vertendi, in interno aequae ac in externo systemate cutaneo eodem gaudere vigore, ostendunt; polypus, ita inversus, ut

12) De continuationibus membranarum 1763. §. xvi. rec. in Sandiforti thesauro dissertationum. Vol. II. pag. 276.

13) Physiologie. Band I. pag. 174 — 75.

14) Esperienze e riflessioni sopra la carie de denti umani coll' aggiunta di un nuovo saggio sulla riproduzione de denti negli animali rosicanti. Geneva 1812. pag. 164 — 198.

15) WILLBRAND, l. c. pag. 51.

superficies ejus interna, externa fiat, secretiones, integritate neuliquam laesa, ut prius perpetrat, riteque nutritur. Quo majorem animalia perfectionis adipiscuntur gradum, eo magis tractus intestinorum, cute externa potissimum excretioni dicata, nutritionis fungitur vicibus. Sed et in superioribus animalium ordinibus infima tubi cibarii pars excretionis manet organon, veluti membranarum pituitosarum systema genitali-uropoëticum, atque nutritionem, licet minori in gradu, cutis perficit externa. Quodsi mutuam tubum cibarium inter cutemque in foetu humano contemplamur rationem,¹⁶⁾ hanc in homine adulto inversamprehendimus. Solo funiculo umbilicali foetus nutritio profecto non perpetratur; cutis externa, uti verisimillimum fit, maximas agit partes, talique modo propius ad membranarum accedit mucosarum indolem. Facilitas infantes recens natos aliquo temporis spatio sine ullo alimento, balneis solummodo nutriendi, atque expedita apud illos medicaminum per cutem assumptio huic opinioni favent. Tractus vero foetus intestinorum excretioni duntaxat praeest, ad internam suam faciem mucum exhalat, qui simul cum bili, adhuc magis mucosa ac aquosa, cumque reliquis liquoris amnii deglutiti addensatus, meconium praebet. Cavitas oris, tubi cibarii initium, post partum demum functiones suas init, ejusque evolutio alimentationem digestionemque, tractu intestinorum perficiendas, immediatim antecedit. Pedetentim in ho-

16) LUCAE Grundriß der Entwicklungsgeschichte des menschlichen Körpers. Marburg 1819. 8. pag. 82 et seq.

mine recens edito antithesis internum systema cutaneum inter, atque externum, in dies magis conspicua fit; alterum ab altero recedit, haud vero tantopere, ut utriusque analogia non sit facile perspicienda. Quod in ultimos universi systematis cutanei valet terminos, eo potius etiam locum habet in illis, quae inter cutem externam ac systema mucosum intimum medium tenent, partibus. In homine nato et hic varietates occurrunt, ita v. c. oris fauciumque nutritioni, narium cavitas excretioni magis est dicatum, nec tamen id totius systematis cutanei renititur unitati. — Atque cum in organismo animali systema cutaneum sit illud, quo animal cum rebus externis communionem ineat, verum etiam eo potentiis inimicis massamque organicam destruere conantibus sit obnoxium, tres inferiores sensus organici sunt collocati, quorum custodia noxarum instans periculum annunciat, idque avertendi facultas praebetur animali. In villosa nempe universi systematis cutanei compage sensationis initium prodit, quae in cute externa sensationem communem, in digitis, majorem tacta culturae gradum, sensum tactus praebet; crassior tegumentorum communium epidermis, oris caveam linguamque obvestiens, gracilescit, corpus papillare magis fit perspicuum, itaque sensatio communis in gustatus sensum vertitur. Textura villosa insignior adhuc apparet in narium cavitate, qua mucii secretio longe validior est, gustatusque in olfactus attollitur sensum. —

Hi tres modo nominati sensus ad percipiendas res externas vel forma solida, vel fluida, vel

denique aërea in organismum nostrum ruentes, destinati sunt.¹⁷⁾ Perstricta structurae et munerum membranarum pituitosarum tegumentorumque communium aequitate, transeamus ad

c) collationem eorundem organorum in statu valetudinario. Totius organi cutanei affectio morbosa in superficie perinde, ac in interiori compage sese manifestat α) vegetatione abnormi. β) ut planitieci secernentis vitiosa secretionem γ) ut sensationis organi affectio, sensationibus abnormibus. Membrarum pituitosarum vegetatio alienata pariter ac cutis sese prodit inflammatione ejusque successione variis, formationibusque praeter naturae normam, quibus ambo organa obnoxia sunt, quorum inter varias partes, secretionem perversa, quandam animadvertere licet rationem, actionem earum vicariam, indeque analogiam, significantem. De cutis, ut organi sensitivi, aegritudine non est, quod moneam, praeter hysterismum. Cunctum systema cutaneum vel externis violentiis mechanicis, chemicis, dynamicisque, vel internis, quae ab aliis organis secernentibus, aut a nervoso, sanguifero, lymphaticoque proficiscuntur systemate, offenditur, de quo KREYSIG haec ait: „Zunächst werden die Schleimhäute vom Blutssystem aus beherrscht; so wie bedeutende Fremdartigkeit in ihm herrscht, so spiegelt sich diese gerne in ihnen ab, die erstere mag aus dieser oder jener entfernten Quelle sich gebildet haben. Es giebt keine Art der Dyöcrasie der Säfte, die sich nicht auf den Schleim-

17) WILLBRAND, l. c. pag. 123.

häuten offenbarte.¹⁸⁾ — Dasselbe gilt für die Integumente, sie sind der Spiegel des Inneren, auf den der Arzt vorzüglich achten muß.“¹⁹⁾ —

Cutis ejusque propaginum status morbosus magis minusve a reliquis jam citatis pendet systematibus,²⁰⁾ quod accuratius perstringere nolui, cum huc non pertineat, cumque singulares casus, in quibus manifesto fit aegritudinum pituitosarum tunicarum cutisque externae similitudo, cuius medico facile percipienda, referre, superfluum foret.

Ex iis, quae in praegressis tetigimus, cutis externae membranarumque pituitosarum elucet congruentia, quare structurae viriumque vitalium quarundam corporis partium analogia ex alia quacunque aegrotatione, theoria duce, summa cum verisimilitudine, exanthemata in membranarum pituitosis enasci valere, conclusionem admittit.

Citra ullum dubium res experientia Cel. MECKEL ponitur,²¹⁾ ex qua, ubi tunicae mucosae in cutem externam transeunt, exanthemata erumpunt. Sed et in superficiebus partium internarum id contingere potest.²²⁾ Morbilli in cavitate oris fauciumque,²³⁾

18) Handbuch der practischen Krankheitslehre. Leipzig und Altenburg 1819. 8. 2ten Theils 1ste Abtheil. pag. 488.

19) l. c. pag. 567.

20) idem. 493 — 496 et 603 — 609.

21) l. c. pag. 623.

22) REILS Fieberlehre. Halle 1815. Bd. 5. pag. 63.

23) WILLAN, die Hautkrankheiten und ihre Behandlung; aus dem Engl. von Friesse. Breslau 1799. 4. Bd. 3. S. 166.

in lingua, ²⁴⁾ ad infimas usque arteriae asperae partes ad pectoris abdominisque viscera ²⁵⁾ jam visa sunt. Scarlatinae affectiones in membranis mucosis verisimiliter magis sunt exanthematicae, quam vulgari tribuendae inflammationi. ²⁶⁾ Variolas quoque ad internas superficies mucosas peculiari sua surgere indole, etsi de earum in visceribus adhuc ambigatur eruptione, notum est. WRISBERG ²⁷⁾ et BLAINS ²⁸⁾ haec aliaque in membranis pituitosis efflorescere exanthemata confirmant, quorum prior his utitur verbis: „Tales pustulae, quales descripsimus, ut in toto „cutis ambitu erumpere possunt et solent, ita a me „etiam visae sunt in linguae parte superiori, quae „pillis scatet, in inferiori et laterali ejusdem superfici- „cie, usque ad radicem basinque linguae, in gingivis, „labiisque oris, in palato usque ad limites regionis „mucosae, quae cryptis mucosis abundat. Vidi eas-

24) PETER FRANK epit. Lib. III. pag. 258.

25) Lieuteaud Prec. de medecine pag. 604. ROSENSTEIN Anweisung zur Kenntniß und Kur der Kinderkrankheiten, übersetzt und mit Zusätzen von Murray. 2te Aufl. mit Anmerk. von Loder und Buchholz. Göttingen 1798. 8. pag. 332. — WILSON treatise on febrile diseases. Winchester 1799. vol. II. pag. 415.

26) Reils Fieberlehre 5ter Band. pag. 103 et 114. — PETER FRANK epit. Lib. III. pag. 70.

27) Comment. Gottingae 1800. 8. Vol. I. pag. 70.

28) Some facts and observations respecting infection. In Transact. of a society for the improv. of med. and chir. Knowl. vol. III. London 1812. No. XXXI. pag. 425 — 427.

„dem in narium externarum universo ambitu, cum
 „in septum vero membranae Schneiderianae, et ossa
 „turbinata abierit, verae pustulae sensim disparent,
 „licet disparere non videantur — „et porro“²⁹⁾ de
 „iis partibus hucusque locutus sum, quarum eruptio-
 „nes licet aliae maculae interspersae saepe sint, ut
 „petechiae, maculae scorbuticae, scarlatinae, miliares,
 „scabiosae etc. sede, figura, ortu, mutatione et seque-
 „lis verarum variolarum nomen merentur.“ — Hisce
 multi alii adstipulantur autores.³⁰⁾ — Pemphigi acuti
 nec non chronici bullas in deglutitionis digestionisque
 organis apparuisse, haud ita raro observatum est, ac
 interdum bullae vicissim modo hic, modo in cute ex-
 terna provenisse visae fuerunt.³¹⁾ Denique, testan-
 tibus CAPURON³²⁾ aliisque, aphthae exanthema sunt,
 membranis pituitosis proprium.

Sicuti haec exanthemata cutanea in systemate
 mucoso gastrico-pulmonali singularia provocant phaenomena,
 quorum naturam exanthematicam in contro-

29) WRISBERG l. c. pag. 72.

30) CRELL et HALLER. In Hallers Beiträgen zur Beförderung
 der Geschichte und Heilung der Krankheiten, a. den Streit-
 schriften m. Anmerk. Herausgegeben von Crell. Leipzig
 1797. 8. Band 2. pag. 660. — Stoll. Aphor. pag. 190. —
 De Haen. van Swieten. Stark.

31) HAASE über die Erkenntniß und Kur der chronischen Krank-
 heiten des menschlichen Organismus. Wien und Leipzig
 1820. Bd. 3. Abtheil. 2. pag. 323 — 24.

32) CAPURON Abhandlung über die Krankheiten der Kinder, a.
 dem Franz. übersetzt von Puchelt. Leipzig 1821. 8. pag.
 197.

versiam vocare nequimus, ita et quaedam Leprae formae mutationes tunicarum gignunt pituitosarum, quas secundum pathologiae principia experientiamque ex latente in corpore contagio leproso derivare fas est. Id, hucusque dictis innitens, Lepram membranarum pituitosarum jure nuncupare, itaque libelli hujus inscriptionem me defendere posse, censeo. —

CAPUT PRIMUM.

De lepra membranas cavi faucium, narium orisque pituitosas infestante generatim.

Lepa morborum nuncupatur genus, cujus signa characteristica in materie aliqua malignae indolis, †) e causis endemico-climaticis orta, qua interdum ab altero in alterum transfertur individuum, porro in formatione pigmenti morbosa, ab illa manante, atque in inflammatione ponuntur perquam chronica. Quamnam materies illa maligna in systemate cutaneo induet formam, num phaenominis ingressura sit Leproseos Morphaeae, an Leproseos Volaticae, an Leproseos Elephantiae, num forsane specie macularum praeviarum, quosnam universi systematis cutanei locos

†) Lectorem benevolum rogo atque oro, ne, hoc vocabulo impulsus, materiae corporeae nimis faventem me accuset; illo enim duntaxat brevioris sermonis causa utor, ad indicandas, e quibus Lepa originem trahit, conditiones virium dynamicarum massaeque corporeae internas. —

sedem sibi electura, num in glandulis, an ossibus sit proditura, a peculiari constitutionis indole quibusdamque ejus pendet conditionibus internis, externisque rationibus, quibus vis inest, certas organismi determinandi regiones, in quibus contagium leprosum actiones suas exerceat. Jam HENSLER, ³²⁾ vir summa laude dignissimus, huc nostram direxit talibus verbis attentionem: „den Ausſatz muß man nie als eine an einander „hängende Krankheit betrachten, die einen und deselben Verlauf, Anfang, Mittel und Ende hat. — Ausſatz ist ein Stoff zu Krankheiten, wie es die Luſtſeuche, der Scharbock und „mehrere chronische Uebel sind, und dieser Stoff äußert sich „auf eine verschiedene Art, in unterschiedenen Uebeln, bis „zur vollständigsten Krankheit, freilich in einem, diesem „Stoffe eigenen, sich ähnlichen Ganzen, aber doch in mancherlei Arten und Graden, die eine große Verschiedenheit „des Uebels ausmachen.“ —

Eadem conditiones internae, fortasse et multae aliae causae externae, quae omnibus temporibus haud raro effecerunt, ut contagium leprosum nonnisi singulos, nominatim systematis cutanei invaserit locos Leporamque intulerit localem, in membranis etiam faucium, narium, orisque pituitosis Leporam provenire jubent.

In introductione, hasce membranas cutis externae esse continuationem, ac utriusque monuimus analogiam; quomodo exanthemata tunicas mucosas in circulum universae inducant aegritudinis cutaneae ex

32) HENSLER; vom abendländischen Ausſatz im Mittelalter. Hamburg 1790. 8. pag. 41.

hisce quoque tunicarum eximia patet pronitas, recipiendi materiem leprosam, eamque in peculiaris macularum, ulcerum, excrescentiarumque manifestandi formis, haud secus ac in vera Leprosi cutanea pigmento alienato et inflammationi maxime diuturnae tribuendis.

Leprosi cutanea mox omnem tegumentorum externorum infestat ambitum, mox faciem tantum atque extremitates, mox Alopeciae, Ophiaseosque morbus nanciscitur formam, mox ungues duntaxat afficit. Similem, ac inter singulas superficiei corporis partes, in membranis quoque mucosis atque hanc animadvertimus rationem, nec minus inter varias earum regiones, scilicet in istis locis, ubi ad anum partesque verendas tegumentis externis sunt confines, et in primordio systematis gastrico-pulmonalis mucosi. Aut simul cum involucro corporis externo membranae laborant mucosae, aut hae solae sunt affectae materie leprosa, modo ea nonnisi tractus intestinorum fines partesque genitales invadit, modo singula tantum potitur trium cavitatum pluries citatarum, membrana pituitosa, cuti proxime apposita, obductarum. Crebro Leprae tunicarum pituitosarum symptomata simul occurrunt cum exanthematibus Leproseos cutaneae, raro cum phaenomenis verae Leprae cutaneae, praesertim in prioribus ejus periodis. Haec ubi substat, materies leprosa in cute externa perfecte deponitur, membranaeque mucosae ejus tamdiu expertes manent, quamdiu minori adhuc adsit copia. Serius autem, ubi magis magisque efformatur, saepius fere

membranae ei obnoxiae fiunt pituitosae. In exanthematibus cutaneis leprosis, ubi materies maligna non perfecte deposita est in cute, systematis gastrico-pulmonalis mucosi initia saepe jam primordio metamorphoseos leprosaе participia fiunt. Rarius, quam his locis, Lepra illis est inimica, ubi cutis in membranas intestini recti partiumque genitalium transit mucosas, de quibus sermonem facere hic non est locus.

Cavitatis oris, narium, fauciumque sphaera mucosa, angustis limitibus finita, simili offert multitudine symptomata, ac Leprosis cutanea per varios gradus suos a simplici macula inde, morbum praesagiente, ad teterrimam usque Leprae Elephantiaseos imaginem. Ita v. c. ut symptoma leprosum in cavo narium, in posteriori pharyngis pariete simplex crustula mucosa, salvo tamen subjacente textu membranae mucosae, conspicitur, verum etiam vero gravissimae quoque harum partium provocantur destructiones, ne ossibus quidem vicinis parcentes.

Sicuti omnibus Leprae formis summa diurnitas commune est signum pathognomonicum, haec in membranis quoque mucosis sese manifestat peculiaris indoles. Menses vel integri anni praeterlabuntur nonnunquam, antequam ad extrema veniat morbus, quin morbus etiam disparere mentitur, vel quoque observatum est, ulcera faucium nariumque sua sponte evanuisse,³³⁾ semper vero malum instaurata quavis vice

33) Neueste Nachrichten von der Kadesynge in Norwegen und Schweden, mitgetheilt von Dr. Isaaß Bougt, in den Annalen der gesammten Medicin von Hæfter. Leipzig 1811. 8. 3ten Bds 3tes Heft, pag. 232 — 33.

redit violentia, postremoque, ni praesentissimis ag-
 grediatur remediis, horrendas massae organicae infert
 vastationes. Memoratu dignissima est experientia, non
 solum in Leprosi cutanea, verum etiam in illa mem-
 branarum pituitosarum facta, artis nempe praesidia
 tunc praecipue crebrius salutarem gignere effectum, si
 materies leprosa fixum sibi elegit locum, viribusque
 suis destruentibus jam altius progressa est, quam si
 malum, haud diu existit. Saepe membranarum pi-
 tuitosarum metamorphosis morbosa sine interpellatio-
 ne pergit, earumque textus, ossaque vicina ad certum
 quemdam usque vastantur gradum, tunc primum re-
 media adhibita efficacia fiunt, malumque radicitus
 evellitur. Singularem hanc facultatem nullo alio in-
 terpretari valemus modo, nisi dum varias Leprae
 formas pro naturae conamine habemus ad materiem
 leprosam eliminandam. Ubi crisis perfecta, ac mate-
 ries illa latens deposita fuerit, corpus ipsum artis
 medicatricis adminiculis minus obsistit.*) —

Leproseos cutanae formae, nisi periodis pro-
 vectioribus versantur, sensum organicum saepe pa-
 rum turbant, idemque accidit, ubi materies leprosa
 potissimum praedictis systematis tunicarum potita est
 mucosarum regionibus, etsi jam adsint inflammatio
 et ulceratio. Turbationes, quas Lepra cavitatis na-
 rium, oris fauciumque progignit, tales sunt: languo-

*) Loca opusculi mei hoc signo annotata ex scriptis cel. Prof.
 STRUVE typis nondum excusis, desumpta sunt. —

rem, sensum membrorum gravem, sensationes molestas, segnitiamque aegri perpetiuntur aliquo tempore, antequam materies leprosa localis producat effectus; insequuntur serius spirituum offensiones leviusculae, dolores capitis perstantes in regione frontali, saepius repetitae horripilationes vicissim cum ardore, dolores artuum fugaces, rheumaticis similes; aliquoties febris vera catarrhalis, stillicidio lacrymarum, coryza, ravigue comitata, apparet. Molestiae istae anni temporibus calidioribus secedunt, sed bruma, frigoreque corpore excepto rursus inferuntur. Organorum digestionis inservientium functiones raro infestantur. Apud feminas menstruorum fluxus aliquando rite procedit, interdum irregularis fit, quod simultaneo causarum nocentium tribui possit effectui. Quodsi topica mali eruptio perficitur, molestiae universales saepenumero magis minusve sese remittunt, interdum evanescent, aegrique praeterea optime se valere contendunt, donec malum pedetentim in pejores transit periodos. Tunc organorum digestionis laeduntur officia, corpus macescit, cachecticum fit, nonnunquam ictericum, spiritus foetent, vox raucisona evadit, tunc summa aegrum exercet vocis asperitas, quin etiam exquisita aponia. Insignem nervorum debilitatem, mox sensibilitate nimia, mox torpore stipatam, animum aegroti a conditione sua iniqua immotum, vel etiam summe depressum, non in omnibus, sed singulis tantum reperimus casibus. In summo morbi fastigio, ubi larynx una est affectus, phthisis trachealis nascitur, quam serius phthisis exulcerata colliquationesque, vel quoque hydrops ex-

cipiunt, postremoque aeger, postquam pluribus morbus terribilis eum exercuerat decenniis, viribus plane exhaustis praecipitatur. ³⁴)

Ad penitiorum antequam accedimus mutationum topicarum, quas materies leprosa in citatis systematis mucosi provocat regionibus, descriptionem, nonnullas adhuc annotationes, quae historiam Leprae membranarum pituitosarum spectant, in medium proferre liceat. Mosis Jobique in Biblia sacra libri contenti Lepram quidem, nihil autem de aliqua membranarum pituitosarum aegrotatione memorant. Nec quoque in scriptis Graecorum Romanorumque, quibus nimirum propter commercium cum regionibus orientalibus variae Leprae formae propriam in terram translatae innotuerunt, aliqua occurrit phaenomenorum in primordio systematis gastrico-pulmonalis pituitosi leprosum certa mentio. Quam etsi nobis Arabes primi tradiderint, tamen exilis est, sicuti eorum diagnosis, paucis enim solummodo verbis narium orisque membranae internae affectionum, de illis faucium prorsus reticentes, sermonem faciunt. Multo magis de hac re medii aevi circa lepram occidentalem auctores satisfaciunt, qui simultaneam in Leprae for-

34) Ueber die aussatzartige Krankheit Holsteins, allg. daselbst die Marschkrankheit genannt, von L. N. Struве. Altona 1820. 8. pag. 3 — 21. — HOLST morbus, quem Radesyge vocant, quinam sit etc. commentatio. Christianiae 1817. 8. pag. 15. 22. 23. — MEYER quaedam de morbo leproso inter rusticos esthonos endemico, dissert. inaug. Revaliae-Esthonorum. 1824. pag. 31. 32. et 39.

mis quatuor ab iis stabilitis, in Elephantia nempe, Leonina, Alopecia et Tyria observarunt membranarum pituitosarum aegritudines; nec tamen affectionem, contagio leproso in pituitosa faucium, narium ac oris compage provocatam, commemorant. Malis quibusdam leprosis, nunc temporis Europae septemtrionales detinentibus regiones, proprium esse videtur, quod materies maligna hosce universi organi diligat cutanei locos, ut casus, in quibus morbus cutem, ac illi, in quibus tunicas invadit mucosas, sibi sint pares. Fortasse id talibus nititur causis endemicis, quae ubi agunt, potissimum iniquae sunt tunicis pituitosis. Ad illas Leprae formas, Norvegiae Sueciaeque morbus proprius Radesyge vocatus, Holsatiae forma, nomine „*Marschkrankheit*“ insignis, nostris regionibus pertinet. Lepra inter agricolas imprimis obvia, cui primum Cel. Prof. STRUVE scrutiniis impulsus, medici nostrates studium adhibuerunt.³⁵⁾ Contagium leprosum horum malorum, in corpore collocatum, non ita raro trium cavorum tantum satius memoratorum, creberrime faucium, rarius nasi interni, rarissimeque oris membranam occupat mucosam, symptomatibus multifariis capite subsequente referendis.³⁶⁾

35) MEYER l. c. — ALBRECHT de Diagnosi esthonicae leprae cutanae. diss. inaug. med. Dorpati Livonorum 1825. 8.

36) Drei Abhandlungen von den Kennzeichen, Ursachen und der Heilmethode der norwegischen Pest (oder Radesyge) von Arbo, Mangor und Pfefferkorn. Aus dem Dänischen m. e. Vorrede von Hensler. Altona 1799. — Arbo's Abhandlung pag. 86 et seq. — pag. 99 et seq. — pag. 104 et seq. — STRUVE l. c. pag. 25 et id. Beobachtungen über die

Respiciamus in diagnosi Leprae membranarum pituitosarum prae ceteris formas leprosas, modo nominatas, eandem quidem ob causam, cum qui eas indagaverunt auctores, harum partium creberrime observaverint metamorphoses leprosas, cumque clarissimam earum tradiderint imaginem, denique cum Leprae in membranis faucium, nasi, orisque pituitosis, variis terris endemicae, variisque formis prodeuntis symptomata cum citandis magis minusve congruant. Nec minus Arabum medicorumque medii aevi comparandi causa lustrabimus traditiones.

CAPUT SECUNDUM.

De Leprae membranarum cavi faucium, narium atque oris pituitosarum, variis in terris obviae, diagnosi.

Res universa ut promptius contueri possit, caput hocce in tres abire partes, membranarumque internarum phaenomena leprosa singulae illarum cavitatum separatim a reliquis proferre, optimum duxi. Secundum hanc divisionis rationem potiori loco perstringamus:

ausſahartige Krankheit Holſteins u. ſ. f. in Ruſſ's Magazin. Band 8. pag. 378 et ſeq. — MEYER l. c. pag. 10 et ſeq.

I) *Cavitatis faucium phaenomena leprosa.*

Quomodo contagium leprosum in membrana hujus cavi mucosa sese manifestat, primum mediæ ævi, ut jam monitum est, accuratius pinxerunt auctores, primitias vero morbi non animadverterunt, quæ, quod ex analogia formarum Leprae, nunc adhuc temporis occurrentium, probabile sit, inflammationis chronicæ fuerunt signa. Lepra occidentalis mature jam genuit vocis mutationes, quæ raucisona fiebat atque aspera, vel acutior graciliorque, quam in statu normali (vocis est gracilitas, et mira asperitas, quasi catulorum.³⁷) Idcirco, qui in Leprae ceciderunt suspicionem, experiundi causa, sitne vox sonora nec ne, cantum edere jussi fuerunt. Malo diutius perstante plerumque exquisita enascebatur aponia, (vox occultatur) nec raro vox nasalis, praesertim ubi palatum durum exesum fuerit. Aeger formicarum in ore, palato molli, faucibusque reptantium, tunc quasi acubus aut aculeis pungeretur, percipiebat sensum; ad palatum molle, tonsillas, ac posteriorem pharyngis parietem ulcera in conspectum venibant (alcolosa dispositio Montagnanae.) porro ad linguae radicem, velum palatinum, praeprimis ad uvulam minuta apparuerunt granula, mox albida, mox viridescencia, vel livida, grana milii aequantia, vel prominulis locis cutaneis, in quibus cysticercus cellulosa apud porcos nidulatur, similia. Ulcera saepe per tubam Eustachii ad internam serpsērunt aurem, surditatemque intule-

37) Gilbertus Anglicus vide HENSLER l. c. Excerpta pag. 87.

runt, summoque malo partes vastaverunt molles, atque apposita corripuerunt ossa. ³⁸⁾

Talem medii aevi medici symptomatum faucium leprosum praebent adumbrationem, quacum ob diagnosticam tamen temporum novissimorum perfectiorem imago quadamtenus congruit, longe luculentior circa Leporam faucium, quam delineant de peste norvegica, Radesyge, provectoribus gradibus suis „Spe-dalskhed“ nuncupata, scriptores. PFEFFERKORN hanc Leporae formam septentrionalem, ubi in superficie corporis provenit, quoad phaenomena, auctorum occidentalium Albarae nigrae ac Elephantiasis proximum esse, comparando sibi persuasum habet. Exorta e refrigerio angina catarrhali cum tonsillarum et uvulae tumore, ruboreque faucium florido, contagio leproso in corpore jam substantive, maculae in illis proveniunt rubore saturo, quae serius in lividum abeuntes colorem, ulcerationem concipiunt modo magis superficialem, modo partium mollium substantiam altius infestantem. Frequenter hanc suppurationem superficialem satis amplam animadvertere licet ad faucium mucosam faciem, quae tunc speciem prae se fert, quasi obducta sit pellicula albicera. Quod si ulcera sunt sinuosa, uvulam, tonsillas, palatumque molle expedite vel prorsus, vel ex parte consumunt. Aegroti simul ravi laborant, nec ullum verbum clare modulantur, et

38) JANUS DAMASCENUS v. EXC. HENSLEY I. c. pag. 21. — THEODORICUS ibid. pag. 31. — ARNALDUS ibid. pag. 63. — Examen leprosum auctoris innominati, ibid. pag. 65. — MONTAGNANA ibid. pag. 75 — 78.

quidquid sonorum vox rauca ediderit, per nasum pro-
pellitur. Ulcera singulos obtinentia sonos, fundo con-
spiciuntur albogilvo, immundo, salebroso, sparsimque
punctulis opaco rubris obsito. Prioribus periodis ulce-
ra plerumque nullum spirant odorem, postea vero ani-
mam foetentem reddunt. Quamdiu solitaria sunt, ex
observatione Cel. PFEFFERKORN ulcusculis, mercu-
rii usu perverso productis, quae inter salivationem
oriuntur, aequant. Nunquam, uti Cel. VOUGT adse-
verat, ortum capiunt e tuberibus duris, quae exter-
nae duntaxat corporis superficiei propria esse videntur;
attamen HOLST tuberum, in faucibus occurrentium,
mentionem facit, eique ISAACUS UDDMAN talibus ad-
stipulatur verbis „et tubercula subflavescentia aut sub-
„livida in ore, palato, faucibus et circa linguae radi-
„cem est signum in lepra Bothniae orientalis, Fimm-
„landiae, borealis Oelandiae et Gothlandiae.“ —

Aliquando haec ulcera satis diu nullius sunt in-
dolis peioris, sine artis auxilio consanescunt, plerumque
vero partes, quae iuxta sunt, arrodunt, inferiora petunt,
ossiumque invadunt compagem. Larynx pulmonesque
ubi simul in morbi decursu afficiuntur, asthma oritur,
phthisis trachealis et pulmonalis, evacuationes
colliquativae, hydrops, denique suffocatio, vel virium
maxima morbo finem imponit jactura. ³⁹⁾

39) ARBO l. c. pag. 25 — 25. — PFEFFERKORN l. c. pag. 16. —
VOUGT l. c. pag. 233. — HOLST l. c. pag. 19. — ISAAC
UDDMAN Lepra, quam praeside D. D. Caroli a Linné
proposuit. Upsal. 1765 v. in Amoenitatibus academicis
Caroli a Linné. edit. secunda, curante Scherbero. Erlan-
gae sumtu Palm 1789. 8. vol. VII. pag. 97.

Quam arcta Lepram occidentalem inter, Radesyge, morbumque Holsatiae leprosum sit affinitas, Cel. Prof. STRUVE demonstravit.⁴⁰⁾ Phaenomena quoque, quae in morbo holsatico partim cutis externae stipare affectiones, partim per se in membrana faucium, narium, orisque pituitosa existere consuescunt, naturam horum morborum homogeneam esse testantur. Apud Lepram holsaticam materiei malignae effectus haec ostendit in faucibus symptomata: Prima morbi periodus levi cognoscitur inflammatione, quae mox apparet, mox evanescit, mucii secretio minuitur, omnes faucium partes siccitate laborant, apprime posterior pharyngis paries, qui eo pallide nitens fit, cuique nonnunquam crustulae adhaerent mucosae, sicuti et in narium cavo reperiuntur, subjacente tamen membrana pituitosa non exulcerata. Ad haec symptomata accedunt ravis, coryza, tussis, saepeque etiam asthma.⁴¹⁾ In secunda periodo rubor partium morbosarum intentior fit, velum palatinum, uvula, posterior pharyngis paries, interdum quoque tonsillae intumescunt, nec vero tanto in gradu, quanto id fieri solet in simplici angina. Deglutitio difficilis redditur, aegri ardoris sensum, esuque panis vulgaris saepe dolores percipiunt pungentes, vox magis fit raucisona. Partes aegrotantes ante pallide rubrae, colorem recipiunt purpureum ac lividum. Haec angina decursum celebrat perquam chronicum, evanida fit ac recurrit,

40) STRUVE lib. c. §. 77 — 82.

41) Ibid. §. 6.

regimine calido in melius abit, atque tempestate iniqua insigniter exasperatur, eoque modo mensibus, annisque perstat, donec in tertiam transeat periodum.⁴²⁾ Haec talibus concomitatur signis: in faucium superficie inflammata ex atro-rubro in coeruleum vergente colorem, mox ad palatum molle, mox denique ad posteriorem pharyngis faciem excoriations nascuntur, quae serius in ulcera abeunt specie immunda, ex albo flavescente, formaque in tonsillis fere conica depressa, quae pus fundunt admodum tenax, viridescens, nec unquam, sicuti ulcera extremitatum inferiorum crustulam formant. Vel in veli palatini planitie multa prominet excrescentiarum copia, specie fere minorum caruncularum, e pure vulnere bonae notae generatarum, rubore tamen minori. Quandoque inter has eminentias ulcuscula illa sese exhibent.⁴³⁾ Vox in dies magis fit rauca et obscurior, tamen loquela, etsi maxima colli adsit aegrotatio, interdum haud insigniter laeditur. Ulcera haec ubi consanescunt, faucium aspectus lividus sensim in rubrum abit, ulcera ipsa purificantur, atque cicatrice obducuntur, massa tamen amissa non restituta, ita ut, perpetrata sanatione, loci clare sint perspicui ad tonsillas, uvulam, aliasque partes, ubi ulcera prius locum habuerunt.⁴⁴⁾

42) Ibid. §. 11.

43) STRUVE Beobachtungen über die aussehartige Krankheit Holsteins u. s. f. in Ruß's Magazin für die gesammte Heilkunde. Berlin 1820. 8. 8r. Band. pag. 399 Krkngeschichte Nr. 11 und pag. 403 Krkngeschichte 15. —

44) STRUVE lib. c. §. 21.

In quarta morbi holsatici periodo ulcera colli longius latiusque serpunt, suppurationes in tonsillis, uvula, postica musculorum pharyngis facie profunda nascuntur, partes molles exeduntur, ac postremo ipsa caries vertebrarum colli infertur, postquam ab interiori omnis substantia muscularis posterioris pharyngis parietis consumpta fuit. Vox omnino perditur, nec est nisi susurrus raucus, atque haud perspicuus. Aegri enecantur, uti in capite primo jam praeceptum est.⁴⁵⁾

Morbus Esthoniae leprosus omnibus suis phaenomenis, nec minus faucium affectionibus, Leprae formam utramque jam citatam utique aequat. Refrigerium praevium subsequuntur molestiae catarrhales, mox in melius, mox in pejus abeuntes, saepe prorsus evanescentes, brevi autem recurrentes; vox rauca, deglutitio difficilis evadit. Fauces examinatae ruborem laetiozem referunt et siccitatem, haud raro non nisi singulum detinentes locum, qui majorem minoremve, colore modo insignem, praebet maculam. Saepenumero tamen et pharyngis paries posticus, tonsillae, velum palatinum, uvula, lingua ipsa eandem ineunt mutationem. Intumescunt partes, potissimum tonsillae atque uvula, saepe summopere demissa. Eae molestiae modo mitigatae, modo exasperatae per menses annosque perstare possunt, priusquam secunda mali incedat periodus. His symptomatibus jam citatis magis conspicuis, sui generis degeneratio paulatim ulte-

45) Ibid. §. 3o.

rius procedit. In pariete pharyngis postico, in tonsillis, palato molli, ubique membrana faucium pituitaria pone ultimum dentem ascendit molarem, hae animadvertuntur mutationes: *a*) omnes istas partes, vel quendam earum locum, inprimis velum pendulum, pellicula mucosa ex albo flavescens, exsudatione uti videtur, producta, obducit, qua expedite abstersa, subjecta intentiori rubore tincta reperiuntur, exulceratione tamen vacantia. *b*) Aliquando sub ista pellicula, vel ea etiam non praesente, vera cernitur faucium excoriatio. Et hic turbidus color albicerus, ubi fundus ruber ulcerationem superficialem perlucet, punctulis rubris interspersus, conspicitur. *c*) In aliis casibus stigmata, mole granorum milii, praesertim in velo pendulo occurrunt, vel minora ulcuscula sparsa, solitaria, quae superficiem diligunt, latius serpunt, ideo saepe confluunt, ambitumque haud spernendum adipiscuntur. Ortum plerumque ducunt, antecedente nonnunquam crustarum formatione, e minoribus maculis flavo rubidis, crebro marginibus circumdantur irregularibus, rubris, fundumque offerunt immundum, in quo pus haeret tenax ex flavo-albescens. Non ita raro ex illis maculis enata ulcuscula forma ovali, aliquot linearum diametrum aequante, veli palatini perrodunt substantiam foramenque in eo gignunt, oris albidis cinctum. Ubi ad uvulam consederunt, hanc crebro vel ex parte vel penitus, talique nonnunquam consumunt modo, ut, inferiori illaeso, superior ejus pars omnino fere sit exesa. Quodsi ulcera pone ultimum oriuntur dentem molarem, initio erosionum

exiguarum specie incedunt, quae serius in ulcuscula abeunt minutissima, sibi apposita, paululum sinuata, fundo albido conspicua, quae ubi mature sanantur, perspicue inter se sunt distincta, fundum nanciscuntur purum, ac aliquantulum sinuosa apparent forma scutellularum, quo facto primum accuratius quatuor et amplius horum ulcusculorum sibi adjecta fuisse, in aperto est. In tonsillis ulcera planiusculam ostendunt formam concavam, reliquoquin eadem praedita sunt indole, ac illa, quae pone ultimum dentem deprehenduntur molarem: ubi ulceratio fit intentior, majus exoritur ulcus, tonsillarum massam penitus pessundans. In pharyngis facie postica ulcera sese offerunt partim talia, qualia modo descripsimus, partim jam initio ampliora atque plana. Interdum ulcera altius descendunt in pharyngem, ut aegrius solum conspici possint, vel partes corripiunt circum laryngem sitas, forsitan et ipsam epiglottidem rimamque glottidis, quod ubi fit, oculis plane semet subtrahunt (*) *d*) Rarius haec ulcera sunt elata, margine praedita rubro; quodsi vero talem exhibent formam, a locis prominulis, turbide albis, rubre quoque marginatis ortum ducunt. Talem casum olim observavi, in quo simul occurrit tuberum in cute formatio; pisi dissecti mole, aspectuque relato supra uvulam apparuit eminentia, nondum exulcerata; similes vero loci in veli palatini limbo jam nacti fuerunt elatorum horum ulcerum formam. Scitu dignum videtur, quod haec excrescentia torpidissimam semet manifestavit erga lapidis infernalis vim excitantem, quocum extremitatum maxime

infestatarum consentiebat stupor insignis in tuberculis, ne cultri quidem incisione ullum percipientibus dolorem. Nonne membranae faucium pituitariae tubercula aliquo versentur connubio cum formatione tuberculorum cutis externae, quae simul exstitit? Saepe inter ulcerationem aegroti nullum spirant odorem, saepe contra pessime foetentem.

Tertia omni ex parte quartam morbi holsatici aequat periodum. Singulis in casibus cariosam baseos cranii vertebrarum colli ramique ascendentis arteriae maxillaris inferioris observare licet destructionem.⁴⁶⁾

Dyscrasia leprosa in membrana faucium mucosa apud Leprae formas jam citatas progignit symptomata praedicta, e quarum comparatione facile componi potest phaenomenorum in primis systematis gastrico-pulmonalis mucosi initiis imago. Sed alia quoque mala leprosa, nostris temporibus variisque regionibus regnantia, uti auctores memorant, membranam faucium pituitariam illius metamorphoseos organi cutanei participem esse docent. MARTIUS,⁴⁷⁾ ne res exemplo careat, exanthemata purulenta et ulcera, quae fauces, laryngem et tracheam invadunt, postremo eas vastant, atque accedentibus molestiis asthmaticis aegrotum enecant, ut symptomata refert morbi Chersoneso tauricae proprii.

46) MEYER. l. c. pag. 11 — 13. 13 — 14. 20. 24. 26. 32. 38.

47) Abhandlung über die krummische Krankheit. Freiberg 1819. S. pag. 65.

Morbus Scotis Sibbens vocatus ad Lepram potius, quam ad Syphilidem referendus,⁴⁸⁾ plerumque ulceribus sese prodit, et peculiaribus oris fauciumque excrescentiis, quae sibi commissa, palatum molle, uvulam et tonsillas cito destruunt, adjacentia invadunt ossa, cariamque inducunt.⁴⁹⁾ Simili modo morbus canadensis corripit fauces.⁵⁰⁾

Scherlievo morbus, secundum austriacos medicos, syphilidem inter Lepramque medium tenens, omnibus symptomatibus morbo Neapoli anno MDCCLXXXIV endemico simillimus, crebro cum affectionibus incipit faucium jam descriptas leprosas aliquatenus aequantibus. Lassitudinem exiguam ac membrorum quasi quassatorum sensum inflammatio sequitur oris fauciumque levis, aegrotus per aliquod tempus raucitate laborat, in partibus inflammatis pustulae surgunt, quae dehiscunt, saniem emittunt, partes vicinas corrodentem, ac ulcera formant rotunda, cinerea marginibus colore sature rubro cincta, temporis successu velum palatinum ossaque apposita spongiosa exedentia.⁵¹⁾ Saepius post inflammationem labiorum, cavi oris et faucium longe praegressam striae nascuntur albae, initio membranarum integritatem haud laedentes, serius

48) HOLST l. c. pag. 60.

49) SCHWEDIAUER von der Lustseuche, a. d. Franz. übersetzt von Kleffel, mit Anmerk. von Sprengel. Berlin 1799, 2ter Theil. pag. 249.

50) Ibid. pag. 245.

51) Saggio sulla malattia del distretto di Scherlievo di Claudio Antonio Bouet etc. Parigi presso Didot. 1814. v. salzb. Zeitung. Jahrg. 1819. Band 4. pag. 312.

sub iis ulcera et pustulas provocantes.⁵²⁾ Interdum ex his ulceribus subnascuntur excrescentiae fungosae, quin partes etiam ulcerosae inter se coalescunt. Tali modo malum saepe per plures persistit annos, donec phaenomenis, istis Leprae formis, ad finem perducat vulgariibus.⁵³⁾

Lictraa islandica Norvegiaeque Spedalskhed idem est morbus⁵⁴⁾, symptomata ergo faucium in utroque eadem offenduntur.

Aegrotationum tunicarum pituitosarum in Leprae speciebus, ni allatas excipias, hic illic obviis auctores vel nullam faciunt mentionem, vel negligenter solum, unde speciatim eas referre, superfluum existimo. Memoratu dignum est, quod medici, nostris temporibus terras adeuntes orientales, ne syllabam addant ad Arabum de affectu membranarum mucosarum traditiones. Inde conditiones, ibi terrarum endemicae, in materiem leprosam ita agere videntur, ut semper perfecte deponatur in superficie corporis externa, forsitan ob opaciorem cutis colorem incolarum illarum regionum, forsitan etiam, quod potentiis externis cutis actio magis provocetur.

52) Geschichtlich administrativer Hauptbericht über die Scherlievo-Anstalten im Fiumaner Kreise, sammt Beschreibung der Krankheit, ihrer Heilart und Ausrottungsmaaßregeln vom 1. April — letzten Decbr. 1818. vom Proto-med. Dr. JENNIKER, in den Jahrbüchern des kaiserl. österr. Staates. Wien 1819 — 20. Band 5. Stück 3. —

53) Storia della malattia dette scrilievo etc. di Giambatista Cambieri v. salzb. Zeitung Jahrg. 1821. Band 4. pag. 188.

54) HENSLER l. c. pag. 375. —

Spectemus symptomata leprosa, quomodo in membrana narium pituitosa sese manifestent, eandemque hac et in sequente sectione, ac in priori calcemus viam, dum nempe istas praepremis attendimus Leprae species, in quibus tam crebro contagium leprosum propagines duntaxat cutis externae corripit, quo factum est, ut de hac re scribes, phaenomena in membranis mucosis cura diligentiori narraverint, quam illi auctores, qui ea solummodo formas Leproseos cutaneae, a se ipsis observatas, comitare viderunt.

2) *Leprae in cavo narium phaenomena.*

Historicae notiois causa breves praemittam notas, quas Arabes medicique occidentales reliquerunt de tunicae narium mucosae per materiem leprosam invasione. Arabes Leprosin orientis cutaneam stipitam viderunt sternutatione, nasi oppilatione, anosmia, septi narium arrosione et vastatione, nec non illarum collapsu.⁵⁵⁾ AVICENNA cum prae ceteris Arabum scriptoribus hanc rem diligentius tractaverit, ipsa ejus verba locum habeant: „et apparet in anhelitu strictura „et in voce raucedo, causa nocumenti pulmonis et „cannae (art. asper.) ejus et multitudo in sternutatione. „Et apparet in naso, et fortasse fit oppilatio in naso „et privatio olfactus.“ Ulterioris decursus symptomata ita pinxit: „et additur constrictio anhelitus donec „pervenit ad difficultatem vehementem, et dyspnoeam „magnam. Et pervenit vox in fine raucedinis, et in-

55) Rhazes et Haly Abbas in HENSLERI Excerpt. l. c. pag. 1. et pag. 6.

„grossantur labia et denigrantur. Et corroditur car-
 „tilago nasi, deinde cadunt nasus et currit virus foe-
 „tens.“ ⁵⁶⁾ — Haec complectuntur omnia, quae Arabes
 nobiscum de Lepra in membranis pituitosis sedem
 habente, communicant. In Lepra, medio aevo per
 maximam Europae partem saeviente, narrante LAN-
 FRANKO, nasus internus saepe correptus visus est „na-
 res, ait, iis gracillantur aut maxime ingrossantur, et
 difficilem emittunt flatum per nares“ ⁵⁷⁾ — : nec mi-
 nus ARNALDUS leprosam membranae Schneiderianae
 aegritudinem, eamque cognoscendi affert rationem.
 „Item cognoscuntur (scil. leprosi) ex vulnere (ulcere)
 „existente in naribus et videntur sic, quod debet ar-
 „ripi una parva virga ligni et bifurcari ad modum
 „tentaculorum, et debet interponi nasum, aperiendo
 „ipsum, et debet respici interius cum candela incensa,
 „et si interius videatur ulceratio vel excoriatio in pro-
 „funditate nasi, signum est propriae Leprae.“ ⁵⁸⁾ Cha-
 racteristicas de Leprae occidentalis in membrana na-
 rium pituitosa decursu notas, ex narrationibus auc-
 torum istorum temporum haud majoris pretii, se-
 quentia comprehendunt: nasus interne angustior red-
 debatur, spiritusque per illum indies aegrius trahe-
 bantur, sternutatione exercebantur aegrotantes fre-
 quenti, ulcera gignebantur, apprime ad septum na-
 rium, foetidissimum spargentes odorem, quibus pos-

56) Cf. HENSLERI Excerpta lib. c. pag. 13.

57) Ibid. pag. 40.

58) Ibid. pag. 62.

tremo nasus exesus corrui. 59) Symptomata, quae morbus in naribus provocat, accuratius novimus ex scriptis auctorum circa Leprae in Europa boreali occurrentis formas, quae id peculiare habent, quod haud raro in membranis modo pituitosis effectus suos ostendant. In morbo Radesyge febrem catarrhalem leviusculam dolor sinuum frontaliū sat incommodus, premens atque obtusus excipit, nasum mox in hoc, mox in altero latere membranae pituitariae obturat tumor, quo respiratio atque olfactus impediuntur, crebro latex flavidus, aquosus e naribus stillat, cutem exasperans, nonnunquam vero nares etiam admodum siccae, crustulasque offerunt mucosas. Quodsi cavum narium inquiris, membranam pituitosam invenies rubore saturo tinctam atque tumidam. Menses integros, imo annos status hic perseverare potest forma saepius mutata. Praeterlapso aliquo tempore in interno naso enascitur exulceratio, ulcus conspicitur superficiale, plurima ex parte in septo, quod materiam stillat purulentam, liquidam, sanguine aliquando intertinctam, modo sine, modo cum foetore. Haec ulcera interdum peioris expertia sunt indolis, haud latescunt, sed per longum tempus eandem servant conditionem, quin sua sponte sanescunt, saepe vero peioris sunt notae, partes finitimas arrodunt, cartilagine nasī sensim consumunt, vel ipsa nasī ossa perforant, ut ab

59) Examen leprosoꝝ auctoris innominati. *ibid.* pag. 65. —
 BARTHOL. MONTAGNANA *ibid.* pag. 75 — 77.

externo specillum mediocri crassitie cavo narium im-
mitti possit. ⁶⁰⁾

In Lepra holsatica Cel. Prof. STRUVE haec in
membrana Schneideriana enasci vidit symptomata:
nasus in primo morbi stadio mox obturatus, mox se-
cus, ulterius semper, sine causa perspicua dolores
oriuntur saepenumero tempore nocturno transitorii
in naribus, vel in genis ac fronte, admodum vexan-
tes, initio tamen mox sese remittentes. Nares fre-
quenter aridae, vel parumper modo mucii secernunt
aquosi; nasus diligentius inspectus insigniter rubefac-
tus, inflammatus, intrinsecus paululum tumidus ap-
paret; mucus aquosus expedite spissescit, inque crus-
tulam mutatus cum tunica mucosa arctius cohaeret,
hac tamen non ulcerata. Propter animae per nasum
transitum impeditum aeger frequentius ad emungen-
dum cogitur, quo mucus, intentione majori facta,
saepe cum sanguine mixtus ejicitur. Olfactus paula-
tim perditur. ⁶¹⁾ Diurnus hic status per menses
annosque haud mutatus perstat, accensa solum, vel
minuta inflammatione.

In secunda periodo symptomata ingravescent,
dolor sinuum frontaliū per periodos vehementior
tanquam advolat, oculi simul largissime lacrymas stil-
lant. Quandoque aegroti per hanc alteramve narem
animam ducere nequeunt, quod iis, cum os somno
hians siccescat, noctu praecipue molestissimum est.

60) PFEFFERKORN l. c. pag. 8 et 16. — ARBO l. c. pag. 22.

61) Ueber die ausfallartige Krankheit Holsteins etc. pag. 4. §. 6.

Nunc jam extrinsecus tumor percipitur. Nares angustantur et nasus, ubi contrectatur, magis minusve dolet.⁶²⁾ Ita malum lente in tertiam abit periodum: in naso intus inflammato, extus tumefacto ulcera prodeunt vel septum, vel ossa nasalia, vel palatina obsidentia. Loci ulcerati, ubi adhuc oculis patent, sub crustis illis conspiciuntur mucosis, vel e minoribus oriuntur erosionibus, nulla antecedente crustarum formatione, vel denique e macula exigua, rubre tincta, in qua vesicula surgit flavida, qua rupta, primo ulcus planum ex albo flavescens, mox autem carie stipatum, producitur. Interdum, cum morbus ossa primum infestaverat, membrana pituitaria posthac talibus ulceribus secundarie afficitur; saepius autem inversa est ratio, ulcuscula nimirum tunicae pituitosae ossa infestant consumuntque. Intimas cum occupant nares, maximum inferunt periculum, quia non tam mature detegi possunt. Praeterea nullatenus absimilia sunt ulceribus faucium praedictis, maturrimeque cariei minantur periculum propter magnam membranae hanc caveam obducentis tenuitatem. Cum loci ulcerati oculis non patent, eorum praesentia cognoscitur coryza vel praegressa, vel adhuc locum habente, qua mucus educitur viridis et purulentus, maximamque partem latus nasi illud, in quo ulcus positum est, validius est tumefactum. Nonnunquam ulcus aliquod in fundo narium collocatum, palatum osseum perforans, ad cavum oris sibi sternit viam, de quo uberius

62) Ibid. pag. 7. §. 11.

tractabo in sectione sequente.⁶³⁾ Periodus quarta hisce insignitur phaenomenis: Ossa nasalia, ulceribus nunc arrosa, carie magis magisque destruuntur, ita ut satis magnae eorum particulae emunctione removeantur. Denique nasi forma pessundatur.⁶⁴⁾

In Lepra esthonica reliquisque Leprae formis sectione antecedente nominatis, aequali modo nasi interni membrana mucosa ossaque laborant vicina. Prolixo vitaturus, nil nisi quaedam scriptorum infra citatorum, in quibus ad rem facientia uberius expediuntur, refero loca, ⁶⁵⁾ et nunc ad

3) *Phaenomena Leprae in cavitate oris*

transeo. In hac cavea rarius sese exhibent, quam in ambabus jam prius allatis, Leprae symptomata varie mutata, erosionum, rugarum, excrescentiarum condylomatosa, indurationum denique forma. Arabes hac de re nil amplius dicunt, nisi quod in sectione praecedente loco memorato effatum est, ubi de tumore nigroreque labiorum fit mentio. Graeci etiam medici bina indicant signa, in Lepra iis nota, obvia, quibus exceptis nulla alia in systematis gastrico-pulmonalis initiis prodeuntia tangunt, venas nimirum rani-
nas sub lingua dilatatas, tumidas, sanguine atro re-

63) l. c. pag. 18 — 19 §. 22.

64) l. c. pag. 24. §. 31.

65) MEYER l. c. pag. 11. 14. 24. 32. 48. — MARTIUS l. c. pag. 65. — SCHWEDIAUER l. c. pag. 246 et 249.

pletas, atque labia crassa, turgida, liventia.⁶⁶⁾ Medii aevi, nec non seculi decimi sexti ac septimi auctores haec enarrant signa, Leprosin cutaneam suorum temporum concomitantia. Interea genarum, labiorum et gingivae facies atra reddebatur et livida, tunc aspera atque erosa,⁶⁷⁾ aegroti singularem sentiebant per omne oris fauciumque cavum titillationem.⁶⁸⁾ Ulcera et granula seminum milii magnitudine, de quibus jam supra dictum est, et hic apparebant.⁶⁹⁾ Venae raminae sub lingua varices praebebant, inque palato glandulae protuberabant lividae, viridicantes.⁷⁰⁾ Labia ampla fiebant, crassa atque dura, mox pallebant, tanquam aceto perfricta fuissent, mox livebant, ac fissa deprehensa fuerunt.

In Radesyge materies leprosa ita se prodit in oris cavo: rubor oris interni floridior est, maculae exoriuntur ex rubro fuscae vel turbide rubicundae, sub attactu duriores,⁷¹⁾ quam loci morbo vacantes, quae serius in exanthemata vertuntur herpetica.⁷²⁾ Sine

66) Aretaeus Cappadox de Elephantiasi v. in *Artis med. principes recens.* Albert de HALLER. Lausannae 1772. tom. V. pag. 133 — 34. — Aetius de *Symptomatibus ex libris Archigenis* cap. 120. pag. 415.

67) *Examen. lepros. aut. innom.* in *Exc. HENSLERI* lib. c. pag. 65. 67.

68) HENSLER l. c. pag. 139.

69) MONTAGNANA. Arnaldus l. c.

70) In Hildani *Epist. a Claudio Doeodato* 22. de Villari in *tract. Chirurg. lib. II.* pag. 71.

71) ARBO l. c. pag. 129.

72) PFEFFERKORN l. c. pag. 13.

ulla affectione praecedente ad internam genarum tunicam adque labia maculae lividae, serius ulcerationem excipientes in conspectum veniunt. Raro atque in infantibus solummodo tenerioribus, testante VOUGT,⁷³⁾ linguam quoque petit malum, e matrum nutricumque mammis proficiscens. ARBO contra in adultis idem sese animadvertisse asseverat, ubi haec ulcera, saepe maxime sinuosa, illis faucium similia fuerunt, quibuscum plerumque simul incesserunt, tamen quoque, etsi rarius, per se exstiterunt.⁷⁴⁾ Ulcera oris hac in forma leprosa albo-gilva, superficialia, fundo immundo, mox internam genarum faciem, mox gingivam, vel labia occupant; margine circumdantur profunde rubro, cruentam saepe prae se ferunt speciem,⁷⁵⁾ vel ulcera mercurialia, salivatione genita, aequant; modo singulatim proveniunt, modo acervatim.⁷⁶⁾ Interdum palato inhaerent osseo, talique incipiunt modo: tumor exiguus suppurationem perpeessus ulcus evadit, cito increscens, ossa palati duri vastans itaque perforans, ut vox sic dicta oriatur nasalis.⁷⁷⁾ Quandoque ulcerum orae paulo sunt elatae.⁷⁸⁾ Primis mali periodis vel nullus ex ore redditur odor, vel gravissimus, ubi vero ad extrema ventum est, anima teter-

73) l. c. pag. 33.

74) l. c. 24 — 25.

75) VOUGT l. c. pag. 33.

76) PFEFFERKORN l. c. pag. 16.

77) ARBO l. c. pag. 24.

78) Ibid. pag. 85.

rime foetet, gingiva fungosa apparet, livida ac mucosa, dentes nonnullis aegrotis morbo nigrificati, vel integri, vel in frustulis elabuntur.⁷⁹⁾

Sufficiant haec ab auctoribus de Radesyge alata. Holsatiae morbus in cavo oris sequentes praebet mutationes: prima periodus raro aliquid offert alieni, si ruborem partium altiorem excipias; secunda⁸⁰⁾ papulas exhibet minores, albidas, aut maculas exiguas, subalbicantes, non elatas, lentis ambitu, quae plerumque internam genarum labiorumque obsident faciem. Maculae istae et papulae plurima ex parte prius animadvertuntur, quam in ulcerationem transierint. Nonnunquam in angulis oris loci occurrunt colore spurco, serius crustis ulceribusque detenti. BRANDIS musculos, palato osseo adhaerentes, rugatos fuisse observavit.⁸¹⁾ Fissurae sat depressae, tenui crustula obductae, nominatim ad labia atque internam reperiuntur, ubi genae incipiunt, faciem. Nec rarae erosiones marginum linguae, haud absimiles ab illis, quae ab usu hydrargyri nascuntur, tamen planiores sunt, fundoque subrubicundo. In tertia periodo⁸²⁾ maculae, nec non papulae oris et labiorum aut in ulcera jam adumbrata abeunt, aut in condylomata attolluntur verrucosa, planiuscula, saepe dimidiam duntaxat lineam geometricam supra cutem elata, fre-

79) PFEFFERKORN l. c. pag. 21 — 22.

80) STRUVE lib. c. §. 12. pag. 8.

81) Ibid. pag. 31.

82) Ibid. §. 24. pag. 20.

quentius rhagadibus perarata, quae in linguae marginibus paulo magis prominent, et verrucis sunt similia. Singula eximiam consequuntur magnitudinem, ut dimidiam fere linguae occupent partem; sicca sunt atque malo sublato, sua sponte tabescunt, vel cauteriis prompte removeri possunt. Saepe ulcerationem imperfectam subeunt, unde vultum laceratum magis quam vere suppurantem contrahunt. Ulcera cum proveniunt in substantia musculari ossibus palati affina, hisce caries instat. Crebro palati duri vastatio ab imis orditur naribus, quod si acciderit, dolorosa saepe palati sensatio diu antecedit, cujus tunc partes molles in tumorem surgunt nuclei amygdalarum forma, quo nupto os in imo ulcere cariosum conspicitur.

In morbo quoque Esthoniae leproso cavitatis oris invenimus affectiones, forma erosionum, ulcerum albidulorum, circuitu lentis et ultra, mox in lingua interdum turgida, mox in genarum superficie interna angulisque oris. Nec desiderantur excrescentiae harum partium condylomatosae.⁸³⁾

Eadem phaenomena, praecipue ulcera genarum internarum, labiorum, palati atque linguae in morbo etiam crimensi obviam sunt.⁸⁴⁾ Morbus Sibbens primum in cavitate oris sese manifestare consuescit maculis minoribus, prominentibus, albidis, quae inflammantur atque suppurant, tunc sui generis provocat excrescentias fungosas, baccis Rubi Idaei, Scotis Sib-

83) MEYER l. c. pag. 14. 18. 20. 38. 52.

84) MARTIUS l. c. pag. 64 — 65.

bens dictis, haud absimiles, unde nomen traxit. Basis earum solida est, superficies aspera, humorem effundunt acrem.⁸⁵⁾ Condylomatibus formarum Leprae jam relatarum aequiparandae sunt.

In morbo canadensi minores labiorum, linguae, orisque interni pustulae priora sunt signa, quae indole gaudent acri-rodente; visi sunt infantes, quorum omnem fere exederant linguam. Initio ab aphthis (alcolae MONTAGNANAE) non differentes, latice albidulo, purulento sunt repletae, insignique pollent vi contagiosa.⁸⁶⁾ — Malum Scherlievo symptomata concitat in ore ab illis Leprae faucium haud abhorrentia.⁸⁷⁾ Elephantiasis in insula Francia (Isle de France) regnans, ad internas oris membranas pariter, atque ad faciem extremasque partes genuit variae formae tubercula, vel membrana puitosa os amiciens, colore tantum ex atro-flavente tincta fuit, praeterea nullo modo alienata.⁸⁸⁾

Ad symptomata hoc capite contenta, omnes cavitatis oris mutationes Leprae formis hic non illustratis progenita, referri possunt.

Frequentissime cavi oris simul cum faucium incedit Lepra, rarius cum affectione narium, crebrius

85) HAMILTON, über die frühere Geschichte und die Symptome der Luffseuche. v. Jahrb. Zeitung 1819. Bd. 1. S. 198.

86) SCHWEDIAUER l. c. pag. 245.

87) Ibid.

88) Beobachtung über die Elephantiasis, wie sie auf Isle de France vorkommt, von J. Kinnis u. v. Jahrb. Zeitung Nr. 34 des Jahrg. 1825.


cum phaenomenis ad intestinum rectum partesque vendas productis, ita ut, cum Lepra ad oris introitum, in ejus vicinia, inque ore ipso apparet, ortus ejus in fine etiam tubi cibarii, i. e. in intestino recto atque genitalibus, expeditior videatur. Exanthematibus leprosis methamorphoses, materie leprosa in oris cavitate productae, saepius, nominatim in infantibus, junctae sunt, prae ceteris Erythema infantile insons, Rhagades, Intertrigo, condyloma in superficie sua exulceratum, nec minus id, quod exanthematis variolosi forma efflorescit, ex quibus colligere licet, Leprae in ore phaenomena minus judicatoria esse, quam verae Leproseos cutaneae.*)

CAPUT TERTIUM.

Phaenomenorum in cavitatibus citatis eorundemque integumentis externis Lepra enatorum collatio, ac quae illa intercedit affectusque morbosos, eis simillimos, differentia.

Quodsi Leprae systematis gastrico-pulmonalis pituitosi symptomata strictius comprehendimus, hae perspicuae fiunt formae inter se diversae: maculae colore rubro lividoque, per omnes inter utrumque gradus interpositos, tinctae; crustarum formatio, illaesa simul partium subjectarum mollium integritate; erosiones earum partim raras, partim congregatae, amplioremque obsidentes regionem, quae tunc in su-

perficie saucia esse videtur; ulcera cum et sine crustis, paulatim partes molles exedentia, cartilagine corro-
 dentia, nec ossibus quidem parcentia; excrescentiae, mo-
 do papillarum exiguarum forma, modo caruncularum,
 vel inter se distantes, vel confertae, forma compage-
 que varia; denique fissurae et rhagades. Effectus, quos
 materies leprosa in membranis exserit mucosis, si cum
 phaenomenis Leproseos cutaneae conferuntur, cutis
 externae maculae peculiare pigmenti abnormis for-
 mationi, sicuti in variis Leproseos cutaneae occurrit
 maculis praeviis, simillimae sunt, quod rubore pallido
 e cupreo in lividum vergente patefit. Pronitas ad
 formandas crustas mucosas, substantia supposita salva,
 cum Leproseos Morphaeae nigrae transitu in Alba-
 ram nigram siccam in cute comparari possit. Mino-
 res erosiones atque excrescentiae partim Albarae ni-
 grae siccae, partim condylomatibus exanthematibus-
 que cutis papulosis; tubercula apud morbum Estho-
 niae leprosum atque Elephantiasin insulae Franciae,
 Leprae Elephantiae, ac postremo ulcera harum par-
 tium Leprosi ulcerosae analogae esse videntur.*) Haec
 vero haud ita sunt intelligenda, ac si contenderetur,
 in quovis singulo casu, quo praedictae existunt Le-
 proseos cutaneae formae ac membranae quoque in-
 festantur mucosae, has symptomata tantum praebere
 singulis Leproseos cutaneae formis respondentia. Sae-
 pe enim analogas has organi cutanei interni externi-
 que formas una occurrere, haud vero tam crebro, ut
 pro regula haberi possit, probabile est. E contra
 quoque in membranis pituitosis complura phaenomena



simul existunt, uti in quibusdam aegrotis Leproseos cutaneae macularum, ulcerum, tuberculorumque formatio.

Adumbratio metamorphosium tunicae mucosae faucium, narium ac oris, materie leprosa enatarum, quae in capite praecedente adstrictius tractatae sunt, duorum quodammodo morborum, syphilidis nimirum morbiq̄ue mercurialis, easdem partes infestantium, aequat imaginem. Omnium simillima est syphilitidi, membranas mucosas detinenti. Difficillimum profecto est opus, Leprae Syphilidisque harum partium distincte statuere limites. Uterque morbus omnibus fere symptomatibus tam arcte sibi est affinis, ut merito conjecturare liceat, Syphilidem ac Lepram duas esse ejusdem generis morborum species, ortu magis atque decursu, quam singulis phaenomenis inter se discrepantes. Generatim haec forsā brevibus ita stabiliri possint: affectiones nempe istas morbosas tunc pro syphiliticis habendas esse, cum praegressae infectionis syphiliticae veritas est explorata vel saltem summa veri substat similitudo, cum porro ista phaenomena localis genitalium antecessit affectus, denique cum metamorphosium forma in his organis syphiliticae naturae praebet signa diagnostica, magis abscondita. In leprosam contra horum phaenomenorum concluderemus indolem, si in regionibus occurrunt, ubi Lepra frequenter endemice animadvertitur, nisi praevia aliqua, praesertim genitalium, deprehenditur infectio, si malum, nullis antecurrentibus aliis affectibus morboſis, primarie haec invasit organa, porro si una cum

hiscæ verae Leproseos cutaneae prodeunt signa, tandem si indicia diagnostica, leprosaevi mali naturae diligentius investiganda, in conspectum veniunt.

Discrimina haec Syphilidem inter atque Lepram faucium, nasi atque oris membranam pituitosam infestantes, quae penitiorem poscunt diagnosin, sequentibus forte nituntur momentis:

a) Nunquam Syphilidis in his partibus eruptionem, tam diuturna antecedit coryza, nec inflammatio tam chronica, modo aucta, modo minuta.

b) Virus syphiliticum, ubi primum his organis potitum est, nec artis succurrit auxilium, vim suam destruentem in dies exasperat ad perfectam usque partium solidarum molliumque eversionem. — Virus leprosum non raro destruendo quiescit, ulcera sponte sanescunt, mox tamen in locis jam prius affectis, vel aliis rursus apparent.

c) Syphilis secundaria semper primo collum, serius nasum sedem sibi eligit, in Lepra contrarium contingit.

d) Parietes genarum interni, lingua atque palatum nonnisi rarissime excoriationem syphiliticam vel ulcus recipiunt.

e) Ulcus syphiliticum e vesicula, leprosum plurima ex parte e maculis ex flavo-rubellis originem trahit.

f) Illud fundo praeditum est peculiari, lardaceo, margine prominulo, saturo rubro, quandam offert callositatem maxime respiciendam; aliam leprosum praebet imaginem.

g) Ulcus syphiliticum expeditius substantiam penetrat, promptiusque consumit.

h) Suppurationem faucium superficialem, qua partes speciem nanciscuntur, quasi membrana albula obductae essent, nunquam forte viro syphilitico progenitam deprehendimus.

i) Nec quoque Syphilis stigmata granulis miliaris, excrescentias carunculis, pure productis, similia atque tubera superficiem superantia, exhibet.

k) Ozaena syphilitica semper foetore stipatur gravissimo, quo leprosa narium exulceratio, ni malum jam ultimis versatur periodis, caret. Illa ossa quoque nasi celerius evertit.

Momentis istis universalibus atque topicis inter se collatis, in casu concreto ad distinguendam a Lepra Syphilidem in faucibus, ore nasoque respiciendis adjuti, majori minorive verisimilitudine iudicium ferre poterimus. Nihilo tamen secius casus accidere possunt, ubi decretum circa utriusque morbi diagnosin effatum utique difficile redditur, cum vero malorum syphiliticorum atque leprosoꝝ curatio sibi sit simillima, haesitatio talis perpetranda sanationi non tam iniqua est.

Ineptum hydrargyri usum excoriations et ulcera faucium atque oris, rarissime interni sequuntur nasi, affectionibus earundem partium, Lepra productis, admodum analogae. Quod ubi fit, causarum praecipuis indagatio atque modus, quem prima exhibent mali initia, rem patefaciunt. Quodsi perversam curationem, hydrargyro perfectam, insecuta est aegrotatio, salivae fluxus vel praegrediebatur, vel adhuc

substat, odorem ex ore mercurialem, omnino habitum sic dictum, mercurialem si animadvertimus — porro in exploratione medica cum tunica genarum interna flaccida reperitur atque salebrosa, mercurii usui perperam adhibito ista phaenomena ortum debere, persuasum habemus. Cum quidem, quod diagnosin difficiliorem reddit, non semper sialorrhoea ea praecedat signa, dentium tamen conditio aliquid ad rem facit, plerumque enim in morbo mercuriali atri inveniuntur, cariosi, nec nisi laxius gingiva flaccida, specieque breviori, circumdati.

Aliorum quoque morborum formae, excoriationes locos ulceratos, quin imo exquisitum horum organorum praebent vastationis processum, v. c. Scrophulae, Scorbutus atque Carcinoma; — attamen eae non modo, quoad mali universi, verum etiam quoad topici affectiones tantopere a leprosis discrepant phaenomenis, ut vix ne vix quidem cum hisce confundi possint. —

Theses defendendae.

1.

Cadavera animantium, morbo contagioso demortuorum, non amplius contagio inficiunt, etsi non sit dubium, quin ipsa adhuc potentiae morbis gignendis faveant.

2.

Falsa non solum, sed etiam superflua est structurae muscularis in utero adoptio.

3.

Morbi etiam chronici crisibus nonnunquam judicantur.

4.

Si vim naturae medicatricem statuis, vim naturae exitiosam etiam adsumere debebis.
